

DISSERTATIO PHYSICA  
DE COELO,

*Quam*

Auxiliante supremo Numine,

& consentiente ac approbante Ampliss.

Facult. Philosophicā in Regio ad  
Auram Lycéo,

M O D E R A T O R E

*Præclarissimo & Præcellentissimo V I R O,*

Dn. Mag. PETRO HAHN,

Phys. Prof. Ord. Celeberrimo, Mecenate, Præ-  
ceptore ac Promotore gratā memoria per-  
petim devenerando,

Pro Gradu Magisterii

*ejusq; PRIVILEGIIS consequendis, publico  
doctorum examini placide submittit*

JONAS L. GRUNBECK/ Smol-

*S. R. M. Alumnus,*

Ad diem 15. Julii Anni M. DC. LXXXV.

In Auditorio Maximo

*horis antemerid:*

A B O E

*Impressa à JOHANNE WINTER/ S. R. M.  
M:tu in Finlandia Typograp.*

Sacræ Regiæ Majestatis

Summæ fidei Viro,  
Et Senatori Eminentissimo &c.

Illustrissimo ac Generosissimo  
Domino,

Dn. G E O R G I O  
G Y L L E N S T J E R N A /

Libero Baroni de Lundhol-  
men/ Domino de Torensborg/ &  
Holmhoff/ sc. sc.  
Domino meo gratosissimo

Salutem, fausta  
devotie suspiria

Ult &

# Sacræ Regiæ Majestatis

fidelissimo Viro,

Provinciarum Junecopensis & Crono-  
bergensis Gubernatori longè gravissimo &c.

*Per illustri & Excellentissimo Domino,*

Dn. JOHANNI

GEORGIO MÖRNER

Lib. Baroni de Mörlunda/

Domino de Ohlstorp / Tunatorp  
& Hester &c.

Domino meo benignissimo

*E felicia quevis  
humilismus precor!*

*Illusterrimi Generosissimiq; Domini  
Patroni Magni.*



*Uas potissimum ob causas, excelsa  
Illustrissimarum Excellentiarum Ve-  
strarum Nomina, Serenissimo REGI,  
Patriæ populoq; clara & cara, eli-  
cenuimus ego humilemus, adorare exsti-  
mulatus sum: una est, Illustrissimarum Excel-  
lentiarum Vestrarum erga humiles quoscunq;, præ-  
cipue autem ex studiosa Juventute, favor; cuius  
radiis ut & ego, perculso alias in boreis hisce  
terris, per aliquot annorum spatia, animo deli-  
rescens*

cescens, refociller & ad Patriam stationem re-  
vocer, est quod etiam atq; etiam obtestor. Altera  
est, Illustrissimarum Excellentiarum Vestrarum  
Gratiosa, paterna planè & specialis juvandi cu-  
ra, quam longo temporis traclu, non parentes  
modo patruiq; mei, sed & ego documentis per-  
plurimis expertus sum. Illa autem beneficio-  
rum erga me meumque parentem benignissimè  
exhibitorum flumina, longè plura sunt, quam  
ut aut hinc pagellis includi, aut à me quidem  
enumerari possint; tot inquam actanta sunt, quā-  
ta unquam esse possunt. Horum tamen omnium  
prorsus ne immemor videar, signo subjectionis,  
quanto ab hac tenuitate fieri potest, veneror:  
hoc est, facio non quod volo & debo, sed quod  
nunc *injuria temporis*, qua distineor, permittit.  
Scilicet specimen hoc, de natura Cœli literarium,  
submissè, impetrata tamen prius venia, Illustris-  
simis Excellentiis Vestrīs, ut ut indignum, piâ &  
devotâ mente offerre mibi præsumo. Qvod ut  
sereno adspeciu, non tam ob elaborationis con-  
cinnitatem, quæ quidem nulla; quam materiæ  
dignitatem, quæ sanè magna est, Illustris & Ge-  
nerosa Mens Vesta accipiat inspiciatq;, reveren-  
ter & majorem in modum oro. Sinat itaq; Gra-  
tia Vesta, quidquid officiorum ab humilimo hoc,  
Excelorum Nominum vestrorum, cultore un-  
quam proficisci poterit, sibi deberi. Qvod super-  
est, ne favor Illustrissimarum Excellentiarum Ve-  
strarum ad me humilimum descendens clientulæ

frustraneus evadat & ianis retro redeat, dies  
noctesq; , DELLM, omnis boni fontem profundissi-  
mum, ardentibus calidisq; fatigare precibus, non  
desinā, quò Illustrissimas Excellentias Vestras, una  
cum Illustrissimis Familiiis, largissimā suā bene-  
dictione, ex immenso gratiae Oceano profluente  
irriget, secundaq; valetudine & omni prosperi-  
tate beat, in Divini nominis sui gloriam, Eccle-  
siae emolumenntum & Reipub. utilitatem peren-  
nem! Quod, quamdiu inter hosce meat spiritus  
meus cancellos, animitus vopeo & exopto!

Illustrissimarum Excellentiarū Vestiarum

Devotissimus cultor.

JONAS L. GRANDEER.

Ad VIRUM

*Eruditione ac virtute præstantissimum, Phi-  
losophiæ CANDIDATUM dignissimum,*

Dn. JONAM GRANBECER /

*Pro Gradu jam disputaturum, commilito-  
nem, amicum & Patriotam honoratissimum:*

*JONAS GRANBECIUS*

*Per avāχapua:*

*Sueci grana bonis.*

**P**ulnica sub lento cortice *GRANA* rubent,  
*Qvæ SUECI Reges distribuere BONIS.*


*L. mꝝ*

*ENEVALD. SVEN. Q. G. A.*

*S. S. Theol. Doct. hodie Acad. Recl.*

*Peregrinatio & politissimo*

Dn. JONÆ GRUNBEER /  
Philosophiæ Candidato dignissimo, pro  
indipiscendis in Philos. honoribus erudite & ner-  
voso de *Cælo* differenti, amico & commiliti  
sincere dilecto :



Vid juvat immenso Musas coluisse  
labore (choro ?

Et sacro Aonidum dura tulisse  
edocet illustri GRUNBEER  
paradigmate, cuius

Exornare caput turba Novena parat.

Et titulis decorare novis clariqve Magistri  
Nomine, curarum pondera Pallas amat;  
Perge igitur Patriæ parta sucrescere famâ  
Usibus atque ejus pervigilare diu!

*Gratulabundus L. Mg, scriptit*  
JOH. FLACHSENIUS  
*Marbem. Prof. & P. Pjkenfis.*

---

*Virtutibus & Doctrina Politissimo VIRO,*

Dn. JONÆ GRUNBEER /  
Philosophiæ Candidato doctissimo, amico  
& commilitoni dilecto, pro Gradu Philosophi-  
co de *Cælo* disputanti, *αυτοσχεδιασμὸς*:

**T**E tenet, in terris cum sis, grave culmen  
Olympi, (nebit idem ?

GRUNBEER; post mortem nonne te-  
Auguror; in cœlis anima est, que corpore terram  
Nunc terit: ingenuum sic decet esse virum.

ANDREAS WANOCHIUS  
Pbil. Praet & Hist. Prof. Fac. Ph. Dee.



## *Thes. I.*



Omo, naturæ deliciæ & mundi princeps, rationis suæ aciem ad indagandam rerum naturalium indolem, si convertere voluerit, non potest reddi contentus hæcce sublunaria saltem scrutari, utut svavi adspectu oculos ejus detineant, mentesqve stupendo qvodam modo in admirationem sui rapiant Elementorum amœnitas, fulgurum, grandinum ac nivium facies, Metallorum utilitas, Gemmarum svavitas, plantarum virtutes, & fructuum jucunditates; Brutorum qvoq; agmina, infinitæ Dei potentiae testimonia, ejusque ineffabilis providentiæ argumenta validissima. Nimis tamen caduca & instabilitia hæc sunt, imo pleraq; impuritati & corruptionibus obnoxia semper existunt. Homini autem prærogativam maximam, os sublime DEUS cum dederit; ut sonant versus:

Pronaque cum spectent animalia cetera terræ,  
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri  
Jussit, Erectos ad sidera tollere vultus;  
Non potest quin ad ea quaæ supra sunt, se-  
se convertat, & ipsam Cœli machinam in-  
spiciat: sunt enim corpora cœlestia terre-  
nis multo firmiora, pulchriora & jucundiora,  
quorum generosam Majestatem & immen-  
sum adparatum magnificare debemus, Ex-  
emplo Anaxagoræ clazomenii, scientiæ na-  
turalis cultoris perassidui, qui cura rerum  
aliarum abiectâ, interroganti cuidam de  
patria sua, num ne ea ei curæ esset? respon-  
dit: mihi patriæ cura summa & maxima est,  
digitum in cœlum intendere, eamque ob-  
causam, dixit, natus sum, Cœlum, solem &  
lunam ut inspicerem. Ad quod studium  
maximè laudabile, Philosophum credimus  
suum applicuisse animum, ob materiae di-  
gnitatem, splendoris pulcritudinem, re-  
rum Majestatem, ornatum admirabilem &  
merè divinum. Cœli enim enarrant glo-  
riam Dei, & opus manuum ejus annunciat fir-  
mamentum. De sublimi hac materia, ne de-  
terreant nos diversæ philosophantium sen-  
tentiae, ingenio libero cum licitum sit in ar-  
duis & difficilimis, modò licitis, se se exer-  
cere,

cere, brevissimam adornare Disputationem  
mihi visum est. *Trahit enim sua quenque  
voluptas.* Interea non immemor sum  
Prudentis Imperatoris discrimen belli adi-  
turi; ille enim ne impunè pessundetur ab  
hostibus, de loco sibi commodo ut pluri-  
mū consultat, neve propriæ culpæ tribuatur  
infelix successus: pari modo certamen phi-  
losophicum aggressurus, incipiat de ipsa no-  
minis expositione, unde Thematis origo  
descendit: qva de & ego in thesi seqventi.

## II.

**Q**VAM variæ sint philosophorum sen-  
tentiae de Etymologia *Cæli*, indicant  
satis discrepantes eorum opiniones, cui scilicet  
lingvæ propriè & genuine, primam  
debeat originem *Cœlum*. i. Latinis ori-  
ginatio vocis hujus duplex est; prima qvidem  
ex verbo *celare*, ideo qvod Cœlum  
omnia celat, & extrema sit facies eorum  
omnium qvæ subteguntur. Altera est ex  
verbo *cœlare*, i. e. excavare & exsculpere,  
instar scilicet globi intus, ad modum ro-  
tunditatis, excavati, eo qvod cœlum in-  
tus sit cœlatum suâqve cavitate stellas alia-  
que infinita ferè corpora absorbet, qvæ in

eo ad ornamenti dispositionem maximè collocantur. 2. Græcorum plurimi primitivum faciunt vocabulum *Koīλος*, hoc est *cavus* vel *cavatus*, unde verbum *Koīλαινω*, i. e. cavo; qvæ acceptio à significatione vocabuli Latinorum, *celare* non discedit, sed cum ea coincidit: idcirco, qvia hoc vocabulum rei naturam maximè explanat atqve illustrat, & aliud convenientius non inventur, qvod æqvè propriè pro primitivo haberri potest, & nobis arridet. 3. Hebræis autem dicitur *Scammain*; qvæ vox qvibusdā composita videtur à *scam*, illic, & *maim* aqvæ, ob aqvas ibi existentes vel superiores vel inferiores; vel qvæsi cœlum sit ex aqvis: vere tamen a radice Arabica *sama* deducitur. Hebræorum quidam dicunt vocem *scammain* Israëlitis idem esse ac *altum*, *sursum*, *supra*, undē idiomæ nostrum, & Germanicum, *Himmel*/ qvæsi ab *Hamam* consternavit, & *EI*, Deus, uti habetur 2. *Sam.* 22. v. 14. *Tonabit de cœlo Dominus.*

### III.

**E**tymologiam *Cæli* excipit Homonymia, qvæ ut plurimum, nisi sublata fuerit, errorum mater salutatur: ne igitur nos variis suis acceptationibus seducat, accuratè distin-

distingvendum est , inter ejus duplices  
præcipue significaciones: i. Theologicam,  
cujus subdistinctiones hæ sunt 1. Accipi-  
tur cœlum pro ipso Deo ; ut testantur  
verba *Iob. 3:27.* qvod homo ne qvi qvam  
accipere potet, nisi ei datum fuerit de cœ-  
lo. 2. Pro Majestate divina sive dextra Dei,  
ad qvam sedet æternus Dei Filius , ut ora-  
mus in oratione dominica, *Pater noster qui*  
*es in cœlis, Matth. 6: 3.* Pro cœlitibus sive  
mentibus beatis, ut *Hiob. 16. v. 15.* Cœli non  
sunt mundi in conspectu Domini. 4. Pro  
aliquo περι sive habitaculo Angelorum ani-  
marumq; beatorum & eorum felici statu si-  
ve lætitia æterna, damnatorū statui contra-  
distincto, ut cum dicitur , angelos puerorū  
esse in cœlis & semper videre faciem  
patris ; alias appellatur hoc modo *cœlum*,  
*spirituale , mysticum & gloriosum ;* qvod  
ubi sit , & quale, & quantum , oculus non  
vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis  
ascendit. Has aliasque Cœli acceptiones,  
qvæ in sacro codice continētur, suntq; merè  
Theologicæ, Theologis explicandas linqui-  
mus. 2. Philosophicam , qvæ sequentes  
habet subdistinctiones : sumitur enim  
1. Pro toto mundo, ut saepius apud Arist.

Test. Israh. Seybothio. 2. Pro toto expanso,  
a terra usque ad ultimum cœlum: qvomo-  
do dicitur Gen. 2. Deus creavit Cœlum &  
Terram: 3. Pro parte aliquæ cœli seu cli-  
mate, de qvo hunc refert versiculum Horat.  
Cœlum non animum mutant, qvi trans ma-  
re currunt. 4. Pro aere in qvo libere vo-  
lant volucres cœli. 5. Pro cœlo sidereo  
sive stellato, in qvo stellæ omnes sive fixæ  
sint, sive errantes, continentur, qvæ acce-  
ptio sola nostrum ferit institutum. Qvod-  
qve cœlum Abrahamo remonstrat Domi-  
nus, Gen. 15: v. 5. *Aspice cœlum & numera  
stellæ, si potes.*

#### IV.

**H**omonymiam subsequitur synonymia,  
qvâ voces *cœlo* & *qvipollentes* expri-  
muntur: *alii* enim nominibus qvandoq;  
appellari solet Cœlum, utpote *ether*, vel  
*αῑθης*, ab *αἴθω*, qvod Græcis est splendeo,  
ideo qvod cœlum sidereum micat ac splen-  
dorem reddit. Alias *εργαστὸς* dicitur, qvod  
fursum, altum & perspicuum significat,  
qvasi supra ὄρεα, id est montes. Dici-  
tur etiam per comparationem ὄλυμπος,  
à fulgore, vel qvod fulgorem reddit. He-  
braice

braice *Rakia*, expansum, qvod latinis fir-  
mamentum dicitur, non ideo qvod mate-  
riam adeo duram, sed potius mollem imò  
mollissimam habet, sed ad ipsum respici-  
endo verbum. Brevitate sic quantâ fieri  
potuit, explicatâ & enodatâ definitione  
cœli nominali, ad realem properamus, per  
qvam Naturam cœli speramus lecturis di-  
lucidiorem fore.

V.

Cœlum est corpus Naturale  
simplex, subtilissimum, am-  
plissimum, totum mundum  
Elementarem ambiens, &  
Astrorum currentium re-  
ceptaculum.

**I**N proposita definitione, ut in aliis etiam  
rebus definiendis, duo præcipue notanda  
veniunt. I. *Genus*, qvod est corpus natura-  
le. Cœlum corpus naturale est, qvia spe-  
cies mundi est, & sicut cetera corpora na-  
turalia, Materiâ & formâ constant; unde  
suam habent quantitatem ad metam lon-

gitudinis, latitudinis & profunditatis extensam, ex quibus certa aliqua figura resultat: quae cuilibet corpori naturali per materiam proprieatem competit, cuius est proles: & qualitatem, quae formam insequitur, quam praecipue a se invicem distinguuntur; ita & has habet cœlum. Simplex etiam dicitur corpus, non quod omnem respuat compositionem: componitur enim ex materia & forma; sed quatenus ex Elementis non conflatum sit, quemadmodum corpora composita, quae compositionem Elementarem insuper agnoscunt, contrariisque qualitatibus subjecta sunt, per quas corruptibilia & mutationibus obnoxia dicuntur: harum autem qualitatum cum expers sit cœlum, simplex dicitur & mutationi ac pati nequit. 2. Differentia, quae cum per formam propriam nobis nota non est, sed ob commune vitium, inbecillitatem intellectus laret, investigatur per causas & affectiones insigniores, quae corpus naturale pro formæ munere ad certam restrin gere solent speciem. De quibus in seqq.

## VI.

**E**X Logicorum Schola apparet satis, causas non saltem quatuor constitui, sed

sed & rectè in internas & externas dividi,  
cujus coniunctionis & divisionis exemplum haud aptius inveniri potest, quam  
corpus naturale, quod est ( $\alpha$ ) ab aliquo,  
tanquam causa efficiente, ( $\beta$ ) ex aliqua  
re, ut Mateia; ex nihilo enim nihil fit na-  
turaliter: ( $\gamma$ ) per aliquid, quo essentia-  
liter ab aliis distinguitur, sic adest forma.  
( $\delta$ ) propter aliquid seu alicujus gratia, nihil  
enim fit frustra; ubi elucet finis. De cor-  
pore naturali cum jam res est, ad specialem  
substratam materiam, videlicet cœlum,  
dictas causas applicemus, quas quoque ad  
morem scholasticorum expendamus, cum ni-  
hil nos cogat de recepto ordine recedere.

## VII.

**C**AUSAM Efficientem cœli ut & omni-  
um aliorum corporum naturalium  
Deum ter opt. Max. esse, testatur plurimis  
in locis sacra pagina, credunt homines pii,  
& asserunt eruditi, Gen. 1: v. 1. *In princi-  
pio creavit Deus cœlum & terram. Psa. 102.  
v. 26. opera manuum tuarum sunt cœli. Esa.  
44.v.24. Ego sum Dominus faciens omnia, ex-  
tendens cœlos solus.* In Symbolo Apostolico  
ita confitemur: *Credo in Deum Patrem omni-*

*potentem cœli & terre creatorem.* Eruditū  
satis exactè norunt, omne productum esse  
ab aliquo, tanquam à causa Efficiente, idque  
vel immediate, ut cœlum per creationem  
à Deo, vel mediatae mediantibus ad insti-  
tutum naturæ causis secundis. Hinc faci-  
lē dispalescit, quām crassē hac in parte A-  
ristotel. & ejus Scholæ philosophantur, sta-  
tuentes cœlum esse æternum tanquam se-  
dem Dei: sī alias intelligunt, æternita-  
tem absolutam, non periodicam.

### VIII.

**A**D secundam in ordine causam, Mat-  
riam scilicet, nunc progredimur, quæ  
una cum forma intrinsecū est principium  
cœlum constituens, de quā proh! quan-  
tum interpretum dissidium. Andari po-  
test aliqua Materia cœli, & si detur num  
sit eadem cum sublunarium, vel iis ana-  
loga, vel ab iis distincta. Anteqvam nos  
ad decidendam hanc controversiam nos-  
met accingamus, prænotandū est, nos nunc  
non agere, de Materia cœli constituendi,  
de qua nobis hæc reponuntur verba: *Ma-  
teriam nolis querere nulla fuit; sed consti-  
tuti, de cuius Materiæ existentia quāmvis*

*non*

non dubitemus, pro ea tamen, præter argumenta illa egregia, qvæ recenset Sperling. hunc in modum argumentamur: Omne corpus naturale qvod habet affectiones Materiam immediate consequentes, illud etiam materia constat: at cœlum est corpus naturale, tales habens affectiones; Ergo Materia constat. Majorē nemo negabit, qvia Materia & forma sunt causæ, corpus naturale intrinsecè constituentes & componentes, ejusdemq; partes essentiales. Qvin cœlum sit copus naturalè constans materia, nullum est dubium, habet enim naturam. Habet & affectiones, subtilitatem, quantitatem & figuram, qvæ omnes materiae proles sunt. Nec sunt alicujus momenti argumenta, qvæ adducit Zabarella & alii cum eo, negantes materiam cœli, inde qvod non corruptitur; sed consequentia nulla: notum enim est Materiam duplicem dari, simplicem qvæ est corporum simplicium, & compositam qvæ est corporum compositorum. Hæc, non illa, infert corruptionem; siquidem in qvovis corpore composito omnia quatror elementa dantur, qvorum qualitates quamdiu pactas inducias servant, manet com-

posi-

positum, rupto autem fœdere dissipantur,  
inque sua principia resolvuntur, qvæ nun-  
quam quamdiu mundus existit, pereunt.  
In cœlo autem & corporibus simplicibus  
alia ratio est; in illis enim non data est  
materia ob transmutationem ad genera-  
tionem, nec ut aliquam corporibus infe-  
rat corruptionem, sed ad subsistentiam  
formæ & ad recipiendam quantitatem &  
figuram: ut recte ait. Scal. Cūm nunc e-  
viētum sit, Materiam Cœli dari, eosque  
valdè errare, qui eam negant; quæ i po-  
test ulterius, *an materia hæc eadem sit cum*  
*sublunarium?* Cujuscunque deum conditionis sit, non potest dici materia prima;  
qvia eam non admittunt accuratiores Phy-  
sici, sed tanquam figmentum in quorum  
dam cerebellis enatum, spernunt; & si  
daretur, non tamen esset eadem cum cœli  
Materia, quæ simplex, incorruptibilis &  
immutabilis sit, cum quâ nullum habet  
commercium Materia prima; Sed ad men-  
tem eorum eam constituentium, cum iis,  
quæ generationibus & mutationibus ob-  
noxia sunt, resolutisque corporibus in eam  
redeat ultimum. Nec potest dici analoga  
materiæ cujusdam elementi, qvia proprie-  
tas

tas in physicis maximē curatur; qvemadmodum enim corpora composita suam habent materiam, suam formam, inter quas danda est certa proportio; Ita cœlum habet suam materiam suamq; formā, hoc est, qvod non est essentiæ vel igneæ, vel aereæ vel aquæ, vel terreæ, sed distinctam eamq; simplicissimam essentiam habet, ita ut proprio nomine exprimi vix possit. Si tamen accuratè velimus loqui, Materiam cœli in totum ab alienari a sublunarium, absolum est; qvia sacra pagina luculenter testatur, Deum creavisse cœlum & terram ex informi & qvidem communi quadam materia, ex quâ cetera qvcqve omnia corpora naturalia producta sunt, sive cœlestia sive sublunaria. Affectiones insuper Materiam concomitantes eadem, qvæ corporibus inferioribus adscribuntur, Materiæ quoqve cœli tribuendæ; ut quantitas, figura. Unde apparet, qvod ratione materiae, principium habent commune: contrarium vero sine impietate & insipida sapientia adfirmari vix potest: distingendum tamen hic putamus inter materiam illam rudem, nude consideratam, sibi relictam & indispositam; & elaborati-

tam

iam, dispositam & formatam sive forma donatam ; illo modo statuere non dubitamus Materiam cæli eandem esse cum sublunarium ; nam ratione materiæ res à re nunquam distinguitur. Hinc tamen argumentari non licet ; *Quæ Materiam habent eandem & communem, illa invicem transmutantur : Cælum & sublunaria talem habent : Erg. transmutantur invicem.* Nos autem Resp. Corruptionem non causari ob materiæ communitatem, sed qualitatum diversitatem : in cælo non datur aliqua naturalis contrarietas, sed ejus durabilitatem materiæ & formæ vinculum, amicitiæ adstrictissimum, facit. Aliter verò Materia quævis forma prædicta sese habet ; forma enim non solum dat Esse, sed & distinguvi, & operari : ubi igitur differentes dantur formæ, ibi quoque essentialiter distinctæ dari debent materiæ ad imperium formarum, quorum subjectū sunt, sese passivè accommodantes : Formæ enim est, rei cuilibet largiri essentiam specificam.

## I X.

**A**D alterū principium cœli internum, causam videlicet formalem, nunc devolvitur

volvitur ordo ; qvemadmodum enim propriam cœlo adsignavimus Materiam, pariter & Formam ei tribuimus , per qvam est id qvod est, & suas habet operationes. Hæc qualis sit, nemo hominum huc usqve novit, Quantum nobis licuerit videre , contenti sumus novisse, eam esse partem cœli essentialem atqve substantialem , productam , cum Cœlum fuerit productum, perqve hanc cœlum suum Esse, distingvi & operari habere : qvæ cum nobis nota , minus igitur existentia formæ cœli propriæ, neganda ; nam à negatione intellectus nostri ad negationem rei, non valet consequentia : multa enim in rerum natura dantur, qvæ nos non possumus comprehendere , nisi à posteriori, h. est, per eorum effecta & operationes. Pro formæ tamen existentia substanciali valet commune hoc argumentum in omnibus corporis naturalis speciebus immotum. *Omne corpus naturale Formam habet ; Cœlum est corpus naturale ; Ergo habet Formam.* Major hinc patet, qvia forma est altera pars essentialis corporis naturalis, qvâ sublata & denegata, ruit tota molles. Min. probatione non indiget. Forma hæc cœli An animata sit an regatur a mente mo-

te motrice, sive forma adſiſtente, nimis ſeſe  
macerant interpretes. Zabarella totus eſt  
in illa ſententia, qvod cœlum ſit animatum;  
animatorum cum ſit ſeſe moovere, & aſtra  
ut plurimum ſunt in continuo motu. Sed ei  
& cum eo ſentientibus opponimus hoc ar-  
gumentum: *Totum Cœlum aut erit ani-  
matum, aut inanimatum, quæ duo extre-  
mæ oppofita conciliari nunquam poſſunt: At Cœ-  
lum non eſt animatum; Ergo erit inanima-  
tum.* Connexio Min. prob. qvia ſi cœlum  
animatū eſſet, haberet operationes vitales  
& organa, per qvæ exerentur illæ, idq; vel  
propriè & perfectè, ut in homine & bruto,  
vel analogicè & modo imperfectiori ut in  
plantis, qvæ per radices, fibras, vertices, & fa-  
cultates, nutricem, altricem, auctricē affimi-  
lantur perfectius viventibus; ſed qvam diu-  
tales operationes nullo modo cœlo tribue-  
re potest Zabarella, tandiu ejus cumqve eo  
ſentientium ſententia vacillabit. Nec in-  
terpretum opinio vera eſt, de mente mo-  
trice cœlum movente, idqve regente mo-  
do qvo navim nauta adſiſtens moderatur,  
qvomodo cœlo non ſaltē propria illa forma  
informans, ſed & ad ſiſtens concedenda eſ-  
ſet, Sed nos Zabarellæ in hiſce ſcrutiniis an-  
nuere

nuere non possumus; nam i. cœlum ipsum,  
dum ad ejus summæ amplitudinis circuitum  
respiciamus, moveri non adserimus, astra  
in ejus cavitate posita qvin moveantur, ad  
perficiendum à Deo præscriptum munus,  
nil obstat; non tamen nisi principio pro-  
prio & interno: in physicis enim naturalia  
& propria curantur, motus igitur astrorum  
erit naturalis & proprius, si per formam ad  
sistentem sive intelligentiam moverentur,  
nonnè id fieret naturaliter violenter, quod  
implicitorum: hoc si in rerum natura to-  
leraretur, sequeretur tunc aerem, aquam  
ceteraque omnia naturaliter moventia, mo-  
veri non naturaliter sed coacte, de qvibus  
abhorret ipsa natura, interpretum hac in  
parte verba & falsas hypotheses negligi-  
mus: præ illis enim nobis amica veritas.

## X.

**F**inem nunc causarum ultimam, princi-  
pium vero cœli externum alterum or-  
dinis ratio tangit, notum cum sit, omnia,  
causam efficientem præsupponentia, agno-  
scere finem, in qvem facta sunt. Causam  
cœli Efficientem Deum Teropt. Max. esse,  
diximus antea, necesse igitur est, cœlum in

aliquem finem esse creatum: Deus enim & natura nihil faciunt frustra. Cœli finis, ut rerum omnium naturalium, duplex constituitur. Primus & principalis summi Dei gloria est, cuius Majestatis prece habetur. Psalm. 8. v. 4. *videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti.* Proverb. 16. v. 4. *universa propter semetipsum operatus est Dominus.* 2. subordinatus duplex 1. Generalis, ut ad perfectionem totius universi faciat. 2. specialis, ut currentibus astris subjiciatur eorumque sit receptaculum.

## XI.

**E**xpositis sic breviter & ad substratam materiam applicatis causis, subjunguntur *affectiones*, quæ de *cælo* reciprocè dicuntur, quarum expositione, ut antea diximus, naturam cœli non solum luculentiore lectoris reddi, sed & differentiam, quam ab aliis mundi speciebus distingvitur, melius intoscere credimus. Cum Notum sit omne corpus naturale esse quantum, cuius gratia quoque in loco est, & vice versa, omne quantum locatum, esse corpus naturale: tales & consimiles affectiones hic in considera-

federationem venire necesse est, qvæ leviter hic quidem tactæ cœlo tribuuntur: quarum 1. est *Quantitas*, qvæ à latere Materiæ non discedit, sed immediate concomitatur: maxima autem & amplissima hæc dicitur *quantitas*, intra suam quippe superficiem reliqua omnia corpora sublunaria complectitur, & totum elementarem ambitum includit; infinita tamen non est, sed finita, determinata & certo respectu maxima: Nullum enim corpus naturale infinitum datur, sed superficie & extremitatis terminum agnoscit; idcirco nulla ejus affectio infinita est; quod insuper probatum evadit ex natura totius, scilicet mundi, qui communi cum Theologorum tum Philosophorum saniorum calculo, quoad ipsam substantiam totaliter finitus statuitur, cur non igitur ejus pars, *cælum* scilicet finitum sit, finitamque quantitatem & determinatam habeat? Quantitatem hanc, aliquam concomitari figuram necesse est, qvæ à plurimis affectio cœli immediata statuitur, sed minus recte, quia figura corpori naturali, non competit nisi per Materiam. Cæteræ affectiones, utpote *subtilitas*, *perspicuitas immobilitas*, de quibus in sequentibus periodis inti-

mē per omnia naturam *cœli* permeant; de figura autē alia ratio est, solet illa superficiem rei extrinsice inseqvi, alias rerū spectabiliū imagines ab extra non conciperemus. Figura autem hæc cœli, an oblonga sit, an v. rotunda, multum inter Philosophos disqui-  
ri solet. Qvi *cœlum* moveri statuunt, ne-  
cessum habent dicere figuram oblōgam vel  
obliqvam esse, alitèr autem sententia illo-  
rum sibi constare non potest; sed non pot-  
est, quia, apodictico aliquo argumento vix  
demonstret qvis, *cœlū* moveri, minus figurā,  
eius oblongam. Ad credendum figurā cœli  
rotundam esse, ducunt nos hæ rationes. 1.  
Ipsum primitivum Κοῖλον, & verbū κοιλαίνω,  
cavare sive excavare, qvæ notant cavi-  
tatem non oblongam sed ad modum ro-  
tunditatis, sicut globus; qvia credimus, ad  
ductum Mathematicorum terram rotun-  
dam esse, qvare tantum spatiū inter cœ-  
lum & terram Antipodium, quantum apud  
nos erit. 2. Circumgyratio Solis, Lunæ,  
planetarum stellarumque præcipuè fixarum  
perpetuo æqvalis, circa polum ab ortu in oc-  
casum, sese intra superficiem cœli volvens  
æqvè apud antipodes ac apud nos. 3. A  
simili, amat natura unionem: rotundā  
facie

facie apparent nobis stellæ : ignis vi externa  
irrumpente, ne dissipetur , in unum se co-  
git: Guttulæ aquæ in descensu ne disjun-  
gantur , in orbem sese convertunt : amor  
enim conjungit, odium disjungit.

2. *Subtilitas*, qvæ tanta est, ut omnes sub-  
tilitates naturales alias superet. Subtilita-  
tes Elementorum, *ignis & aëris*, de qvibus  
nimis controvertunt inter sese physici, ma-  
gnæ sunt, coliatæ tamen cum hac, gradi-  
bus multis inferiores existunt ; Spiritus  
ex Metallis & herbis destillatis extra-  
ctus , judicatur a Chymicis omnium sub-  
tilissimus, qvod tamē id non dicatur in ordi-  
ne ad subtilitatem cœli, indicant adhæren-  
tes crassities & spiritualis mixtio , qvæ sensu  
etiam percipi possunt. Si qvis de subtilitate  
cœli dubitaret, cogitet inde qvanta sit cœli  
puritas & tenuitas, cū liberè & sine ullo ob-  
staculo facilimum præbeat transitū percur-  
rentibus astris. 3. *Perspicuitas*, qvæ qvid sit, fa-  
cile intelligitur ex reb⁹ visilibus. Res qvæ-  
vis si videatur, erit alicujus densitatis & opa-  
citatis, sin minus, visum terminare neqvit ;  
perspicuū enim speciem visibilē non emit-  
tit. Si Elementa, *ignis & aér* ob subtilitatē

vix videntur, qvomodo Cœlum, qvod subtilius est, videatur? nec est qvod hic regerunt Dictum *Gen. 15. v. 5.* *inspicere* enim **Cœlum** idem est, ac vultum sursum attoltere & intueri ornamenta intra cavitatem cœli à Deo posita, utpote Solem, Lunam & stellas, qvæ cum densioris naturæ ipso cœlo, qvin videantur nihil obstat. Nec valet oppositio de colore cœruleo, nam color per se non videtur, sed per corpus illuminans, & si videretur, non tamen realitas aliqvid representaret de cœlo; sed apparenter talis est, ob nubes aliaq; meteora perplurima virtute astrorum de terra potissimum & aqua extracta atqve in sublimi suspensa. 4. *Immobilitas*, de qvâ ingens sentētiarum divortium occurrit, nunc tamen exprimere, non admittunt angustia pagellarum & temporis brevitas. Cōmunitè statuunt Cœlum moveri, & terram qviescere, sed minus recte; aut enim Cœlum ipsum qva tale moveretur, & astra qviescerent, necesse est; utrumq; simul moveri non convenit, qvi simultaneus motus esset idem per idem; & Cœlum si moveretur non ordinarium suum cursum,

cur-

currentia tenerent astra, qvæ alias in continuo motu sunt, nisi ad nutum potentiae superioris, extraordinariæ & supranaturalis, sisterentur, uti habetur *Jos. 10. v. 13.* qvod Sol integrum diem stetit, idqve in medio cœli; si in medio stetit, utiq; clarum est cœlum in se consideratum quiescere. 5. *Incorrūptibilitas*, qvâ cœlum incorruptibile dicitur, non qvod simpliciter sit tale & omnem respuat compositionem, sed certo respectu & qvod non datur aliquod in rerum natura corrumpens, qvo arctissima materiæ & formæ unio disrumpatur & corrumpatur; ut antea diximus. Hinc tamen æternitas cœlo non concedenda, sed destructione, non naturali sed supranaturali, una cum mundo, cuius species est, peribit; qvod sacer codex luculenter ostendit. Matth. 24. v. 35. Luc. 21. Psal. 102. Postea autem novum cœlum & terra nova apparebunt, priora vero non erunt tunc in memoria, & nec ascendent super cor. Esa. 65. 17. 66. 22. Occulta qvædam insuper influentia in hæcce inferiora (eam qvamvis non capit ratio humana) Cœlo non est deneganda: nihil enim in natura otiosum, sed negotiosum &

& certum aliquem ob finem creavit Deus.

Materiam hanc Egregiam, quamvis  
in initio animum induxi, prolixius ex-  
planare, ob tamen circumvolitantia ob-  
stacula, vela contrahere cogor, & hisce al-  
latis, ita breviter ad physicam spectantibus  
contentus. Te autem, Benebole Lector,  
majorem in modum rogo, ut si quæ, de in-  
tricata hac materia, minus delicata & cuia  
exspectatione indigna reperias, velis pro  
tuo candore, ea benevolentiae pallio subte-  
gere, nosq; de Zoilorum retibus, quæ ubi  
extensa vides, eripere. Te interim & dis-  
cursum hunc physicum Deo Cœli Condi-  
tori gloriosissimo committimus, cui a no-  
bis sit laus, honor & gloria in secula  
nunquam terminanda!

